

42

Christiani Ludovici Kalcksteinii,

Mores

&

Fatum.

Anno

M. DC. LXX.

XXX

40.

privobr. firs' time

missal

EXXXIX. m. m. ad. m.

Vjorcs

EGERT

curia

M. DC. LXX.



CHRISTIANI LUDOVICI KALCKSTEINII,

Mores

&

Fatum.



On debebat infan-
dum hoc nomen vel memorari
unquam vel huic inscribi chartæ
nisi publicè interesset, ostendere,
nec hominis, nec Principis favorem aut Patro-
cinium mereri , qvi omnia & hominum &
Principum jura violavit. Patrem habuit, qvi
reliqvis nobilissimæ Familiæ ornamenti non
vulgarem armorum gloriam addidit. Hujus
sive exemplo , sive monitis invitatus , post-
qvam adolescentiam inter literas transegerat,
nomen militiæ dedit. Non defuit conatibus
istis, qvi honestissimos qvosqve fovet & pro-
moyet semper Patriæ Pater Serenissimus E-

lector Brandenburgicus, in cuius ditione fuerat natus. Præfecit enim ipsum penè adhuc juvenem non solum mille peditibus ut Tribunum, sed & sexcentis Dragonis, qvos vocamus, tum territorio Olezensi, tanquam Capitaneum, ut nec belli nec pacis tempore, vel in exercitu vel inter suos sine splendore viveret ac dignitate. His tantis beneficiis, non minora opposuit scelera, ut non gratis qvidem improbus, sed magnis præmiis conductus quasi videatur. Adeò omnem, qvam Patriæ debebat Pietatem, qvam Principi fidem, paulò post exuit. Nam ut nihil dicam de internecino bello, qvod Genitori indixerat, reliquisq; sangvine junctis, qvos in nullum non discrimen, & vitæ & honorum adducere ut qui maximè laborabat, unde hunc Pater Absolucionem suum (ita enim eum vocabat semper) in ipso mortis articulo diris devovit. Certum est, id illum deinceps præter cætera in primis egisse, ut excidium Patriæ & Patriæ Parenti necem acceleraret, nullâ non ratione illius famæ ac vitæ insidiatus. Convictum horrendorum Criminum, læsa Majestatis, Perduellionis, Perjurii, & ab ipso non semel admisfi & in alijs procurati, qvidam ex judicibus, qvos in hac

hac causâ Serenissimus Elector constituerat, capitis damnabant, bonis ipsius Fisco vindicatis; Alii ex isto numero mitior placuit sententia qviperpetuis ipsum addixerunt Carceribus. Longè verò mitior Optimi Principis, licet tantopere læsi, animus & longè major Ejus Clementia, qvâ non modò benigniorem amplexus sententiam, sed & hanc ipsam ita temperavit, ut ad proprios Lares ipsum dimitteret hac Lege, qvam ipse juramento præstito recepit reus, ut tranqvillè illic viveret, nec loco excederet injussus; Sed & hâc indulgentiâ iterum in transversum veluti abreptus, Varsaviam nuper contendit, eo ipso tempore, quo Conventus illic omnium Inclytæ Reipublicæ Ordinum habebatur; Atqve ibi demùm ostendit, qvantum in ista neqvitiae scholâ, qvam sectatus erat hactenus, profecerat.

Concordiam antehac ex privatâ Domo eliminaverat, tum verò Fœderatos Principes Regem nimirum Poloniæ & Electorem Brandenburgicum, supremum suum Dominum, ut committeret, sategit. Antehac perduellionis & læsæ Majestatis reum se se tantum fecerat, tum verò omnem Borussiam Dualem tam horrendis Criminibus involvere non erubuit;

Omnium enim Borussiarum Ordinum nomine, sed
 ementito, in splendidissimo Ordinis Equestris
 Poloniæ Confessu scriptum producit, quo Prin-
 cipis sui sanctissimum Nomen & Munus atro-
 cissimis impetivit calumnijs. Intercedunt Prin-
 cipi Electori cum Inclito Regno Pacta, qvibus
 cavetur, querelas Borussorum ad Rempubli-
 cam neq; deferri neq; ab Ipsâ admitti debere;
 Cautum est ijsdem, gloriam alterius & commo-
 da altera Fœderatorum pars ut tueatur & pro-
 moveat: Rogatur itaque sacra Regia Majestas,
 ne Kalcksteinio in Principis sui famam tam
 detestabili ausu graſſari permitteret, sed Principi
 suo, quem horrendis calumniis incessere non
 desisteret, tradi curaret; neque semel hæc cauſa
 à Ministro Electorali, qui tum warsaviae erat, co-
 ram Regia Majestate tractata fuit. Quanqvā op⁹
 non erat accusatione dicti ministri; nemo magis,
 nemo certius, nemo clarius Kalcksteinij delicta
 ipso Kalcksteinio coram Potentissimo Rege &
 in facie Inclitæ Reipublicæ prodebat, probabat.
 Non venit eo supplex, non imploravit Regiæ
 Majestatis intercessionem, ut Serenissimus Ele-
 ctor tantorum ipsi gratiam facinorum ficeret;
 Contra vero cumulavit delicta delictis & pessi-
 morum Parricidarum & terrarum Orbis incen-
 diario-

diariorum vestigia premens; horrendis modis
in famam sui Principis s̄æviit, Patriam verò o-
ptimis cum vicinis collidere studuit. Pestem
hanc abominandam par erat qvilibet ut fuge-
ret, de Aulâ verò Regiâ nemo melius mereri po-
terat, qvam qvi propudium hoc & opprobrium
non modò Gentis suæ, sed & humani generis
inde ejecerit. Juri verò Gentium nihil erat con-
venientius unqvm, quam, ut, qvi protectione
& miseratione indignus erat, Domino suo cui
non uni us sacramenti Religione obstrictus fuit,
juxta Leges, quæ in omni antehac contra ipsum
institutâ actione observatæ fuerunt, puniendus
traderetur. Et certè non potuit Justitia Divina
tām pudenda crimina & tantam hominis im-
probitatem ferre diutius. Dei enim justo judi-
cio factum est, ut in potestatem Serenissimi E-
lectoris paulò post redigeretur. Tuetur nimi-
rum justissimum numen, qvos vicarios hic con-
stituit suos & petulantiam, quæ illis sēle objicit,
dignis vindicat modis. Hanc divinam adorare
justitiam atqve agnoscere vindictam, qvi de-
trectaverit, videat ne eam experiatur ipse. Fue-
runt qvisolâ immani hác Kalcksteinij impro-
bitate commoti, cum tolerare eam amplius
non possent, obicem ei ponendum & auctorem
ejus

ejus Domino & Judici illius sistendum suscep-
runt, & ipso nesciente & tanto minus ipso man-
dante stiterunt. Dubium ergo non est, optimos
quosque & divini juxta ac humani juris peritis-
simos, factum hoc uti Divino & post toties im-
ploratum Suæ Regiae Majestatis auxilium,
omnium etiam Gentium juri omnino consen-
taneum approbaturos & commendaturos
maxime.

